



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus V. De necessaria ad præscriptionem possessione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus V.

De necessaria ad praescriptionem possessione.

CAjus, cum in Indias navigare statuisset, antequam se itineri committeret, praedia sua variis conductoribus suo, id est, Caji nomine colenda, & possidenda tradidit: cum autem post multos annos in patriam rediens elocatos interea fundos ad se trahere vellet, unus colonorum suum restituere recusavit, asserens, se interea temporis illud praedium praescripsisse: alius autem praetendebat, se emptum interea a colono bona fide agrum legitime praescripsisse.

Quaeritur: Utrum colonus elocatum sibi a Cajo praedium in hujus absentia praescripserit, & quid de emptore sit judicandum?

Synopsis.

1. Possessio in genere accepta describitur.

2. Alia est prima: alia vero continuata.
3. Item merè naturalis: merè civilis: & denique mixta.
4. Horum trium perfectissima est mixta.
5. Possessio merè civilis pro vera adhuc possessione à Juribus habetur.
6. Corporalis rei apprehensio & possessio alia est ficta, alia vera.
7. Possessio animi adminiculo fit, si corporalis fiat animo rem habendi ut suam.
8. Juris adminiculo fit apprehensio, si huic lex non positive resistat.
9. Coloni seu conductoris praescriptio est nulla.
10. Quia semper nomine alieno possederat praedium.
11. Neque alterum bona fide à conductore emptum praedium est praescriptum.

12. Domino erit probandum, quòd semper animum rem ut suam retinendi habuerit.
13. Quem probavit, si rem antiquitus à se possessam ostenderit.
14. Quia mutatio animi nolentis amplius possidere, non præsumitur.
15. Possessio ultra decem annos qualiter sit probanda.
16. Ementi bona fide à non Domino non obest mala fides vendentis.
17. Ad possessionem rerum incorporalium bona quoque fides requiritur.
18. Quomodo hæc possessio fiat, ostenditur.
19. Sufficientia possessionis ad præscriptionem probatur.
20. Talis emptor usumfructum prædii, non autem istud potest præscribere.
21. Prima rei apprehensio non debet esse merè naturalis.

Resolvitur Quæsitum.

ADVERTO I. Possessionem in genere acceptam apud Theologos esse detentionem rei, corporis, animi, & juris adminiculo, res incorporeæ à Juristis dicuntur quasi possideri: corporeæ autem simpliciter possideri.

ADVERTO 2. Aliam possessionem esse primam, quæ est possessio aut detentio vel apprehensio alicujus rei, qua quis primò rem apprehendit: aliam verò continuatam, qua rem jam semel apprehensam penes nos detinemus.

ADVERTO 3. Possessionem esse triplicem, merè naturalem, merè civilem, ac denique mixtam. Mixta atque composita dicitur, quæ fit actuali corporis, animi, atque juris adminiculo, merè civilis datur, quando quis rem ab initio quidem corporis animi & juris adminiculo detinebat, postea verò ab eadem fit absens, atque eam nec per se, nec per alium suo nomine detinere pergit adminiculo corporis; detinet tamen eam adhuc adminiculo animi & juris, in quantum etiam absens vel actualiter, vel saltem habitualiter animum habet illam rem possidendi, nec ipsi, quo ad hoc jura resistunt. Merè naturalis denique possessio est, quando quis rem ab alio adhuc civiliter possessam

sam detinet corporis & animi adminiculò.

4 Adverto 4. Ex his tribus possessionibus omnium perfectissimam esse mixtam, perfectam esse civilem, omnium verò infimam, imò nec propriè dictam possessionem esse merè naturalem.

5 Adverto 5. Possessionem merè civilem adhuc pro vera possessione à juribus haberi juxta *Legem 9. §. qui ad nundinas. ff. de acquirenda possess. & §. possidere. Instit. de interdictis.* sicut autem ex citato §. qui ad nundinas habetur, quòd merè civilis possessio sit adhuc vera possessio, ità ex eodem §. qui ad nundinas habetur, merè naturalem possessionem ne quidem simpliciter esse alienam possessionem, sed solum cum addito naturalem: quo tamen non obstante possessio merè naturalis sua quoque in jure privilegia jurisque assistentiam habet: inter quæ illud non est infimum, quod ab extraneo è sua possessione deturbari nequeat: imò subinde nec ab ipso possessore civili aut vero domino, nisi publica auctoritas accesserit,

Adverto 6. Cùm vi definitionis possessio dicatur adminiculo corporis facienda, seu corporalis quædam apprehensio, hanc corporalem possessionem seu apprehensionem rei aliam esse fictam, aliam veram: vera nominatur, cùm quis rem præsentem vel manibus apprehendit, vel rei aut hujus partibus insistit pedibus: res mobiles apprehendimus manibus, immobiles autem, iisdem insistendo pedibus, sub nomine apprehensionis fictæ intelligitur alia quædam actio, quæ dispositione juris veræ apprehensioni corporali æquivalet. Cùm igitur jura voluerint, ut res incorporales, v. g. servitutes & alia jura censeantur apprehendi per ipsum eorundem usum atque exercitium tanquam ex jure debitum cum scientia & patientia illius, cujus interest talè usum permitti vel prohiberi, concluditur usum & exercitium ejusmodi jurium tali modo peractum, esse possessionem talium incorporalium rerum. Plura de his exhibent *Molina tract. 2. disp. 13. & 14. Lessius l. 2. c. 3. dub. 11. Haunold. tract. 3. c. 3. coner. 3.*

F

Ulte-

- 7 Ulterius. Cùm in definitione possessionis dicatur, ad hanc esse necessarium, ut apprehensio etiam animi adminiculo fiat, adverto, ad possessionem pariter requiri, ut apprehensio corporalis fiat animo possidendi seu habendi rem ut suam; quem animum aliquis habere potest, quin judicet rem talem esse suam, eò quòd sufficiat habere intentionem ita detinendi rem, ut saltem ab aliis velit haberi pro domino talis rei: unde constat etiam possessorem injustum dari.
- 8 Adverto 8. Ut apprehensio juris adminiculo fiat (quòd ultima verba definitionis insinuant) necessarium esse, ut lex positivè non resistat, atque impediat, ne per detentionem rei corporeæ atque animo factam acquiratur possessio, & ne detentor frui possit aliquibus privilegiis, quæ aliàs possessoribus jura concedunt. Cùm ergo possit contingere, ut lex hoc dicto modo positivè resistat, & tamen aliquis rem injustè possideat, colligimus verbis hīs: juris adminiculo, non indicari, omnem possessionem necessariò debere esse justam, sed possibilem etiam esse injustam. Colligimus 2. dō. Possit ab aliquibus personis certæ cujusdam rei apprehensionem fieri corporis atque animi adminiculo, quin talium apprehensarum rerum detentio sit vera possessio, in quantum scilicet leges ejusmodi personas inhabiles reddunt ad privilegia, quæ possessoribus etiam injustis aliàs jura concesserunt: hac ratione personæ laicæ ad comparandam loci sacri possessionem sunt inhabiles. Hīs præmissis ad primum quæsitum.
- 9 Dico 5. Quòd colonus seu conductor locatum sibi à Cajo prædium in hujus absentia nequaquam præscripserit. Ità sentiunt Sylv. verbo *prescriptio*. 2. n. 20. Molina tract. 2. disp. 62. Lessius l. 2. cap. 6. dub. 2. num. 6. Layman. l. 3. tract. 1. cap. 8. n. 5. Palao disp. unica hic pu. 22. §. 4. n. 3. & 4. Probatur ex lege *malè agitur*. Cod. de *prescript.* 30. annorum. ibi: *Nemo igitur, qui ad possessionem conductor accedit, dein res alienas tenendo jus sibi proprietatis usurpet: ne cogantur Domini aut amittere, quæ locaverunt, aut locatores utiles sibi fortassis excludere.*

dere, aut annis omnibus super dominio suo publicè protestari.

Probatur 2. ex cap. *Si diligenti*. 17. de præscript. & lege. *Cum notissimi*. 7. §. in his Cod. de præscript. 30. & 40. annorum: habetur hoc expressè de re emphyteutica & conducta. Idem tenendum est de re feudali, cum feudum & emphyteusis iisdem ferme juribus innitantur. Idem habetur in cap. *Clerici causa* 16. *quest.* 4.

Probatur 3. Sine possessione non potest fieri ulla præscriptio argumentò regulæ tertiæ Juris in 6. ibi: *Sine possessione præscriptio non procedit*. Item ex lege 25. ff. de usucap. idem constat ex ipsa præscriptionis definitione, quæ est acquisitio domini per continuationem possessionis tempore ac modo à Legibus definito.

10 Dices, ejusmodi conductor utique possedit tale prædium: probatur: detinuit illud corporis, animi, atque juris adminiculo: ergo &c. Resp. dist. antec. possedit prædium nomine alieno semper, conc. nomine suo ac proprio negatur. Illa verba *animi adminiculo* juxta dicta innuunt, quòd possidens debeat il-

lam rem apprehendere animo illam habendi ut suam.

Dico 2. Neque alterum prædium præscriptum fuisse ab eo, qui illud bona fide à conductore emerat. Ità Palao locò cit. si talis præscripsisset, debuisset illud prædium possedisse non tantum naturaliter, sed etiam civiliter: sed non possedit civiliter: ergo &c. Probatur major. ad præscriptionem non sufficit merè naturalis possessio: ergo, si præscripsit, debuit illud possedisse civiliter. Probatur antec. qui rem merè naturaliter possidet, non dicitur simpliciter rem possidere: sed qui non dicitur simpliciter possidere, non præscribit, ergo: qui merè naturaliter possidet, non præscribit. Major constat ex definitione possessionis merè naturalis: minor probatur: ad præscriptionem requiritur aliqua simpliciter dicta possessio: ergo, si merè naturalis non est aliqua simpliciter dicta possessio, non præscribet, qui non simpliciter rem possidet. Probatur antec. si non foret necessaria aliqua simpliciter dicta possessio, sed solùm, cum additur *naturalis*, tunc possent duo

simul eandem rem præscribere, possidens scilicet naturaliter, & simul possidens civiliter, ergo cum hoc implicet, ad prescriptionem erit necessaria aliqua simpliciter dicta possessio. Idem habetur in Glossa in cap. Clerici.

11. V. in jus proprium causa 16. q. 4. cap. Si diligenti. 17. de præscript. & Lege. Cum notissimi. 7. §. in his. Cod. de præscript. 30. & 40. annorum cap. Clerici. hæc habet: que precario possidentur, in jus proprium prescriptione temporis non posse revocari. Item ex cap. Si Episcopus 12. Ibidem, confirmatur etiam ex lege. malè agitur. Cod. de prescriptione. 30. annorum, quæ omnia etiam rationibus firmantur: nemo potest præscribere, quamdiu apud ipsum non est possessio civilis, sed apud alium: atqui possessio civilis non est penes illum, qui rem nomine alieno & non proprio detinet, ergo non potest præscribere; Probatur minor: possessio talis est penes illum, cujus nomine possidetur: ergo &c. Probatur etiam major: juxta omnes Doctores præscriptio incipit ab illo die, quo prior Dominus amittit possessionem civilem, tunc enim

primum alter incipit civiliter possidere. Ità Covarruvias ad Regulam possessor. p. 1. §. unico. Lessius de Justitia l. 2. cap. 6. dubit. 2. n. 6. cui consentiunt Joannes Andre. Sylvest. v. præscriptio 2. n. 20.

Probamus igitur nunc etiam minorem, quæ asserit, hunc emptorem non possidisse civiliter hoc prædium. Possessio civilis fuit penes Cajum absentem: ergo non fuit penes emptorem, cum non possint duo civiliter eandem rem possidere: Probatur antec. tamdiu proprietarius Cajus illud prædium civiliter possedit, quamdiu habuit animum illud possidendi, ut suum, & nescivit suum prædium in emptorem fuisse translatum, aut de hac translatione certior factus recuperare prædium non omisit: sed hæc omnia non fuerunt facta: ergo Cajus adhuc civiliter illam rem possederat.

Objicitur: Si ad prescriptionem non sufficit possessio naturalis, sed requiritur civilis, & duo non possunt simul eandem rem civiliter possidere, tunc nunquam rem aliquam quis poterit præscribere: hoc est falsum:

sum : ergo & prius. Probatur major : præscribens nunquam rem civiliter possidebit : ergo &c. probatur antec. prior Dominus semper poterit dicere , se adhuc semper habuisse animum illam rem retinendi ut suam , & consequenter civiliter possedisse. Resp. distingo ultimum antec. prior Dominus poterit semper hoc dicere , & tamen simul debet probare : conc. etsi istud non probaverit, negatur antec. & conseq.

13 Urgent : Non potest asserri modus , quo istam suam possessionem civilem probare possit. Resp. neg. antec. talis enim debet probare, quòd antiquitus illam rem possederit , hoc enim sufficere, ut præsumatur Cajus de præsentem possidere , defendit Bartolus in Legem *possidentis*. Cod. de probationibus. Abbas in cap. *accidentibus de privilegiis*.

14 Urgent : gratis hæc à nobis asserri. Resp. neg. antec. Ratio enim id asserendi est, quòd sola mutatio animi nolentis amplius possidere faciat possessionem semel habitam amittere : cum ergo hæc mutatio non præsumatur arg. cap. *Majores*. §. *ulti-*

mo de Baptismo & Leg. Sancimus. Cod. de testamento : ideo probata possessione semel habita , fuit probata possessio. Adverte tamen, allegandam esse ejusmodi possessionem de præfenti , ut dictæ præsumptioni locus sit , præsumptio enim juris consistens in actu proprio est alleganda vi legis : Si adulterium cum incestu §. *idem Pollioni*. ff. de Adulteriis.

Urgent 3. Si possessio per 15 decennium solummodo probanda sit , tunc modo nunc dicto erit probanda , non autem , si possessio per 30. annos sit probanda : ergo, si ponatur Cajus ad 30. annos emanasse , non poterit probare , quòd toto hoc tempore suam possessionem continuaverit. Resp. ut pro amissa possessione naturalis probetur possessio , 30. annis continuata, ostendendum esse initium cujuslibet decennii. Habetur hoc in lege peregrò ff. de acquirenda poss. & docetur à Covarruvia Reg. *Possessor*. 2. §. 1. n. 3. quòd, si Cajus ob distantiam locorum vel alia via probare possit , se non potuisse suum animum manifestare hoc tempore, possessionem

suam civilem sufficientur fortitan probavit.

16 Objicitur 2. Lessius *cap. 6. dubir. 2.* docet, si res ab aliquo alterius nomine possessa ab hujus hærede fuerit bona fide alteri vendita, hunc emptorem posse præscribere: ergo in hoc casu præscripsit emptor, & consequenter aliquis potest præscribere sine possessione civili. Resp. dist. antec. in tali casu emptorem posse præscribere, ita ut ipsi non obsit mala fides, sed talis habeat bonam fidem, concedo: posse absolutè præscribere, ita ut hoc ipso semper adsint omnia reliqua ad præscriptionem necessaria, negatur: in citato locoduntaxat Lessius examinat, quænam bona fides sit ad præscriptionem necessaria, consequenter dicit, ejusmodi emptori non obesse malam fidem, quo minus possit præscribere; utrùm autem hæc sola bona fides sufficiat, nequaquam P. Lessius dictò locò examinat.

17 Objicitur 3, Ad præscriptionem rerum incorporalium non est necessaria quasi possessio illarum: ergo neque ad præscriptionem rerum corporalium. Pro-

batur antec. Ponamus aliquem habuisse fervitutum patiendi ductum aquæ per suos agros, iste potest exemptionem ab ista præscribere, quin adsit possessio aliqua: ergo &c. Resp. neg. antec. & dico ad præscriptionem etiam rerum incorporalium necessariam esse quasi possessionem illarum, ita Lessius *de Just. l. 2. cap. 6. d. 2. n. 7.* Lugo *de Instit. disp. 7. sect. 2. n. 14.*

Urgent: Non potest ostendi, quomodo fiat ista quasi possessio? ergo. Resp. neg. antec. & dico illam in eo esse sitam, quòd debitor v. g. non interpellatur, dum non solvit, nec inquietetur à creditore vel actore: talis enim in quieta & pacifica possessione juris & solvendi seu suæ libertatis esse dicitur: in tali enim casu præscribitur negatio solutionis, & quies, ut ita dicamus, ab actore imperburbata, seu negatio actionis: sed hæc tempore præscriptionis suomodo possidentur, cum ponatur habere quietem ab actore imperturbatam.

Objicitur 4. Si ad præscriptionem non sufficit possessio merè naturalis, tunc neque sufficiet

ficiet possessio civilis, sed erit necessaria possessio mixta : hoc est falsum : ergo & id, ex quo sequitur. Resp. neg. maj. quòd enim civilis possessio sufficiat, docent Covarruvias *Reg. Possessor p. 1. §. unico n. 7.* Lessius *cap. 5. dub. 2.* Et ratio est, quòd plerumque sit impossibile, ut possessio naturalis & civilis simul toto tempore ad præscriptionem requisito continetur : cum ergo, qui civiliter possidet, adhuc dicatur illam possidere *arg. Legi. 9. §. qui ad nundinas ff. de acquirenda possessione.* ex altera verò parte requiratur possessio vera ad præscriptionem, ideo infertur civilem sufficere.

20 Objicitur 5. Talis emptor juxta omnes potuit præscribere dominium utile, & usumfructum talis prædii : ergo etiam

ipsum prædium. Probatur consequens, non est major ratio unius, quam alterius : ergo &c. Resp. disparitatem esse, quòd dominium utile nomine proprio possideat, non autem ipsum prædium.

Objicitur 6. Non potest dici, qualis debeat esse prima possessio alicujus rei, num naturalis tantum, vel civilis ? Resp. non sufficere purè naturalem, quia aliàs famulus deferens pecunias domini foret istarum dominus : nec merè civilis, aliàs solò desiderio pulchri equi fieret possessor equi. Confir. *ex Legge : possideri. de acquirenda possessione.* ibi: *Adipiscimur possessionem corpore & animo, aut per se corpore.* Idem habetur in *Legge : Quem admodum. ff. Eodem. & Legge possideri §. Nerucius.*



Casus VI.

De prescriptione cum ignorantia vel errore facta.

CAjus emit quendam agrum à Titio adhuc pupillo, & postquam eum jam 20. annos possidet, à Titio venditore jubetur